mis, singultu, ardore ventriculi et faucium sitique inextinguibili, tandem sudores frigidi et animi deliquia: ex quibus angustiis tamen arte emersit. Nihilomimus tamen quidam illud præcipere ausi sunt, et instar drastici, quod pituitam, sed potentius aquam, subduceret in iis, quibus venter nimis contra alia mitiora torpet, vel ut loqui amant, friget, in hydropicis præcipue admiserunt. Ita Ætius, Actuarius et Arabes non nulli. Galenus et Dioscorides tacent de vi ejus purgante. Omnes tamen, qui ore captum concedunt, cautionem summam injungunt, et connubium, cum iis, quæ acrimonium ejus frangere valent, vel prægressam mitigationem desiderant. Hanc ipsam tentarunt oleo amygdalino, succo Citri, phlegmate Vitrioli, Mastiche, Croco, Tragacantha, Melle aliisque bene multis secundum varium de ejus natura conceptum. Sed ejusmodi correctiones vel non sufficiunt, vel, si sufficiunt, ipsam vim medicaminis destruunt. Minuere dosin vel rite illam diluere, aliis exemplis artis est. Ast nondum comprobata vera dosis est. Ad grana decem permittit Sennertus, alias non ineptus subdolæ Euphorbii vis judex; a grano uno ad octo cum semisse concedit Heurnius; a granis duobus sex vel octo Geoffroy. Omnibus hisce audacior et Fallopius, qui præceptoris sui Machesii auctoritate et propria experientia ductus, non dubitavit Euphorbii vetusti drachmam unam, rarius scrupulos quatuor, dare. Mixtum Cassia mitius deprehendit quam solutum, qua forma sitim intolerabilem et evacuationem largiorem creavit. Sed praestat usum internum eiusdem omnino negligere.

Murray Apperatus Medicaminum sub Euphorbia officinarum.

Note C.

Nymphæa in paludibus stagnantibúsque aquis nascitur: folia veró habet Ægyptiæ fabæ similia, at minora oblongioráque, plura ab una eadémque radice prodeuntia: quorum alia super aquam quodammodo extant, alia in ea ipsa demerguntur: florem album, lilio similem, in quo medium croceúm est. At cúm defloruerit, calyculus rotundus, figura malo aut papaveris capiti similis, idemque niger, extuberat: in quo semen nigrum, latum, densum, atque gustanti lentum glutinosumve recluditur. Caulis est lævis, minimé crassus,

niger, Ægyptiæ fabæ cauli similis: radix nigra, scabra, clavæ similis, quæ autumno secatur. Ea sicca, cum vino pota, cœliacis ac dysentericis auxiliatur, lienemque consumit. Stomachi quoque ac vesicæ doloribus sedandis ipsa radix imponitur, et alphos ex aqua emendat: alopeciis etiamnum cum pice imposita medetur. Eadem contra veneris insomnia bibitur, siquidem illa in totúm adimit: quin et aliquot diebus continenter epota, genitale ita infirmat, ut arrigi minimé possit. Idem porro seminis quoque poti effectus est. Cæterùm à nymphis nymphææ nomen sibi vendicasse creditur, quoniam loca amet aquosa. Plurima autem inuenitur in Helide, Anygro amne, et in Bœotiæ Aliarto.

Dioscorides interp. Sarraceni, iii 148.